

**V FEBRVARII.
DE S. AGATHA VIRG. MART.
CATANÆ IN SICILIA
ALIA ACTA
Auctore Græco anonymo, ex MS.
Senatus Messanensis, INTERPRETE I. B.**

CAPVT I

**S. Agathæ patria, comprehensio, constantia
blanditiis flagisque tentata.**

[1] Imperante Decio Cæsare, & Quintiano Siciliam regente, latum edictum est, vt quicumque se Christianum diceret, acerbæ neci dederetur. Tunc igitur & alij multi ad oppetendam mortem sese compararunt, & cum primis magnanima Virgo S. Agatha, [Decij persecutione, S. Agatha ad martyrium se parat.] cui patria quidem Catana, parentes vero clari & illustres. Ea ceteras res omnes aspernata, se ad certamina pro Christo armabat.

[2] De qua cum prius inaudisset Quintianus Præses, longe eam pulchritudine, opibus, nobilitate ceteris præcellere, occasione omni imminebat, vt Virgini iniiceret manus, [a Quintiano, iam ante in eam intento, capi iubetur:] eiusque consensum assequeretur. Reperto igitur prætextu impij edicti, velut Christianam comprehendi eam ab lictoribus iussit, extra Catanam, Panormi commorantem. Cum ij Athletam inuenissent, ita interrogant: Ecquid edictum Imperatoris nosti? Cur diis nostris non sacrificas? Si sacrificaueris, cum gloria & honore ad Præsidentem te reducemus? sin minus, [lictoribus vt et pareat suadentibus,] grauia quæque & acerba tibi infliget. At sancta Virgo, freta superna armatura, stabat Deum inuocans. Lictoribus autem præstolantibus, illa domum

suam ingressa, & in cælum defigens oculos, Dominator Domine Iesu Christe, [Christum erat:] inquit, tu animum meum vides, tu nosti desiderium meum: tu in me dominare, aduersus tyrannum custodi me. Ovis tua sum: dignam me fac, quæ diabolum vincam.

[3] Finita oratione, egreditur firmissimi muri instar, & cum lictoribus strenue iter capessit: secumque interea colloquens, [in via cum lacrymis meditatur:] dicebat: Primum pro pudicitia decertavi, malique incentorem dæmonem, nefaria quæque generi hominum occulte insemnantem, superavi. Gratias tibi ago. Et nunc spectatorem habens immortalem Regem Dominum Iesum Christum, innumeris Angelis stipatum, aggrediar mortem. Hæc & his similia cum lacrymis dicens, iter faciebat. Atque inter eundem, pedem lapidi cuiquam imposuit, corrigiam eius solutam alligatura: & retro aspiciens, neminem vidit sequentem ex civibus, qui eam deduxerant. Tum vero Sancta, magno affecta mœrore, oravit dicens: Domine omnipotens, [miraculo argui sibi diffidentium levitatem obtinet:] propter eos qui diffisi sunt ancillæ tuæ pro tuo nomine suscepturæ certamen, ostende miraculum. atque illico exortus est oleaster, redarguens incredulorum illorum, qui abierant, mentes.

[4] Cum autem Catanam esset ingressa, iussit eam Præses cuidam matrifamilias, nomine Aphroditæ, quæ nouem filias habebat, tradi ad dies triginta; vt malignis verbis & operibus eam circumuenientes, immutarent animum eius, [ab Aphrodite & filiabus per dies 30 tentatur,] & ad immolandum idolis pellicerent. Quæ sanctam Virginem nunc pollicitationibus, nunc blanditiis, alias minis aggressæ, adamante fortiorem inuenerunt, planeque inexpugnabilem. Vna sum, inquiebat; seque ipsam vincebat, & Mens mea, aiebat, fundata est super petram, qui Christus est, ideoque firmissima & immobilis. Hæc videns Aphrodite, ad Quintianum abiit, [frustra:] &

hæc retulit: Facilius est lapides mollire, & ferrum in plumbum transmutare, quam huius animum Virginis a Christianismo abstrahere. Clare deinde explicuit citra ullam dissimulationem, quæ ipsa, quæ filicæ dixerint ac tentarint, sed nihil omnino persuadere potuisse, ab omnibus quæ proponerentur abhorrenti.

[5] Quintianus autem pro tribunali sedens, adduci eam in prætorium iubet, itaque alloquitur: Quo orta genere es? [coram Præsidente fatetur se nobilem, sed ancillam Christi,] Sancta respondit: Non solum ingenuis ac nobilibus, sed & locupletissimis nata parentibus sum. Quintianus dixit: Si ingenua & illustris es, cur servilem personam præ te fers? Humilians se Agatha ait: Ancilla certe quidem sum Christi, ideoque, vt recte ais, servæ instar me habeo. Quintianus dixit: Vere libera mihi esse videris: tu vero, quod non es, cur teipsam servam facis? Et Agatha, Nostra, inquit, ingenuitas & gloria iis in rebus consistit, quibus Christi servitus declaratur. Tum Quintianus: Quid nos? liberi non sumus, qui Christi servitutem execramur? Agatha respondit: Vos ad talem devenistis servitutem & captiuitatem, [idololatrias servos esse:] vt non solum servi improborum dæmonum ac peccati, sed & detestabilium sensuque carentium idolorum opifices sitis, honorem eum qui Deo convenit, lapidibus & lignis deferentes.

[6] Quintianus dixit: Si quid insanias ac blasphemias, acriter te puniemus. Sed priusquam tormenta adhibeantur, dic mihi; Cur deorum venerationem execraris? Et Agatha: Ne deorum dicas, sed dæmonum. Dixit Quintianus: Elige tibi mentem bonam & rectam, & sacrificia diis, sin minus punieris, ac dira multa patieris, [deos ridet,] & ad extremum tandem sacrificabis. Agatha respondit: Sit vxor tua, sicut dea tua Venus, tuque vt Iuppiter deus tuus. Ego Christi mei fidem non erubescam. [iisque similem optat Præsidentem: flagellatur:] Quintianus ista audiens iussit eam virgis cædi, vt quæ Præsidentem

affecisset iniuria. Sancta dixit: Non vis in deorum, quos obtrudis, sortem ac numerum venire? Te miror, qui diis tuis similis esse nolis, eorumque frui vita. Id tibi vt eveniret optavi: & tu iratus, cædi me mandasti. Quintianus dixit: Quid multis opus est verbis? Aut sacrificia, aut diuersis suppliciis te excrucio. Sancta respondit: Etsi in me feras immittas, audito nomine Dei mei mansuescent: si ignem adhibeas, Angeli Christi mei, rorem subministrabunt: si plagas & flagra infligas, [tormenta contemnens,] Spiritus veritatis me e tuis manibus eripiet. Tunc Quintianus caput agitans, iussit eam in obscurum carcerem abduci, dicens: Cogita, Agatha, & pœnitentia flectere, ne dira flagra patiaris. [coniicitur in carcerem:] Sancta dixit: Ipse tu pœnitentiam age, vt æterna supplicia tibi præparata effugias. Iratus Quintianus iussit eam abstrahi atque in carcerem coniici.

CAPVT II

S. Agathæ tormenta alia; mamilla abscissa, a S. Petro curata.

[7] Postridie autem coram se adductæ ait: Cogitasti de salute tua? Illa respondit: [iterum coram Præsede deos ridet:] Salus mea est Christus. At ille: Nega Christum, Agatha, & deos venerare, ne præmature ætatem abrumpas. Sancta autem: Tu deos tuos nega, qui lapides & ligna sunt, & accede ad Creatorem ac verum Deum. Iratus Quintianus iussit eam suspendi, & a spathulis laniari. Cumque ita torqueretur Sancta, dixit: [in equuleo spathulis inciditur: mamilla ei torquetur & amputatur:] Tormenta tua gaudium mihi afferunt & vitam: exulto dum hæc a te patior. Iratus Quintianus iubet mamillam eius torqueri, diuque tortam præcidi imperat. Tunc S. Agatha dixit: Impie & crudelis tyranne, non erubuisti talia in mamillam designare, quam ipse in matre tua suxisti? At licet exteriorem reseueris mamillam, interiorem aliam in

anima habeo, quam præcidere non poteris. Tunc iratus iussit eam denuo in carcerem retrudi, [remititur in carcerem, fame enecanda:] vetuitque ne medicus vllus ingredi ad eam sineretur, & ne panis ei vel aqua præberetur, aut alia vlla curatio ei adhiberetur,

[8] Cum in carcere esset, circa mediam noctem apparuit ei senis specie Petrus Apostolus, (quem puer præcedebat lampadem præferens, [S Petro instar medici apparente,] ac plurima pharmaca) ipse se medicum profitens. Eam deinde compellans ait: Crudelibus in te flagris tyrannus desæviit, sed fortiter perferendo illustriorem tuam indolem ei manifestasti; quare amputari mamillam tuam præcepit. Et ipsius quidem anima in dolore erit sempiterno, tu autem cum Sanctis choreas inibis. [& mamillam curare volente.] Verumtamen sine me mamillæ tuæ mederi. Sancta vero, Numquam, inquit, corpori meo adhibita est medicina, & nunc turpe esse duco, id corrumpi. Respondit ei senex: Et ego Christianus sum, & confidens fore vt te sanarem, huc veni: tu ne verecunderis. Illa vero respondit: Multas ob caussas, rationi maxime consentaneas, haud patiar vt curationem corpori meo impendas. Cur enim, inquit senex, medicinam recusas? Et illa: Habeo Dominum Iesum Christum verbo instaurantem vniuersa. [recusat, & verbo ab eo sanatur:] Tunc subridens senex ille, Ipse me, inquit, ad te misit, & ego illius sum Apostolus. Et ecce in eius nomine sana facta es. atque ea fatus, videri desiit.

[9] Tunc Sancta precari in hunc modum cœpit: Gratias tibi ago, Domine Iesu Christe, quia memor mei fuisti, & misisti ad me Apostolum tuum, qui renouauit membra mea. Et aspiciens seipsam, sanam inuenit, mammamque vt ante fuerat. Ac tota reliqua nocte lux carcerem circumfulsit, ita vt custodes fugerent, carcere aperto relicto. Videntes quod acciderat qui in carcere erant, [luce cælesti percussis custodibus, carcere aperto abire non vult:] ita S.

Agatham alloquuntur: Ecce, fores apertæ sunt, & nemo adest custodum; egredere & fuge. Sancta respondit: Non mihi hoc accidat, vt certaminum meorum corona priuer, & carceris custodes in periculum coniiiciam: habeo enim adiutorem Dominum nostrum Iesum Christum filium Dei viuentis.

CAPVT III

**S. Agathæ in carbonibus volutatæ mors, sepultura;
Catana velo eius seruata.**

[10] Post quartum autem diem iussit eam Quintianus suo sisti tribunali, eamque intuitus, Quousque, ait, perstas in contemptu edicti inuictorum Imperatorum? Aut diis sacrificata, aut multa sustinebis supplicia. Sancta autem, Verba, inquit, tua vana sunt, & tuorum Imperatorum edicta iniqua, [Præsidis verba ridet,] ipsum coinquinantia aërem. Stultus est qui lapides ac ligna colit. Vidisti tuo iussu amputatam mamillam, en aliæ pro ea recreuerunt. [seque a Christo sanatam prædicat, mamilla etiã restituta:] Insaniens Quintianus, Quis te curauit? inquit. Respondit Agatha: Iesus Christus filius Dei viuentis. Quintianus dixit: Rursus Christum confiteris, quem horreo vel audire? Sancta ait: Non desinam corde & labiis eum glorificare.

[11] Tum Quintianus: Nunc sciam an Christus te sanabit. & confestim iussit acutas testas spargi, [super carbones & testas volutatur:] interque eas ignitos carbones proiici, atque in hisce Virginem nudo corpore volutari. Cumque ista tam crudelia illic fierent, locus subito terræmotu contremuit, parsque in pavementum prolapsa, Siluanum Quintiani consiliarium oppressit, [terræmotu & concursu populi] eiusque amicum Falconium, quorum consilio isthæc iniqua perpetrabat. Vniuersa quoque Catanensium ciuitas impetu terræmotus concussa est, adeo vt ciues omnes in regiam conuenirent, & vehementer Præsidem

turbarent. [perculso Præsede, reducta in carcerem,] Tunc Quintianus seu terræmotus seu populi timore, remisit iterum Sanctam in carcerem. Ingressa in eum Sancta, sublatis in cælum manibus, ait: Gratias tibi ago, Domine, quod gratiam mihi dederis, vt viriliter pro tuo nomine decertarem, auferens a me vitæ præsentis cupidinem, ac talem corpori meo virtutem tribueris. [orans moritur:] Exaudi me, Domine, & dignam fac ancillam tuam, vt vanum hunc mundum relinquens, copiosæ misericordiæ tuæ particeps fiam. Finita oratione, statim Domino spiritum reddidit.

[12] Audiens populus quod factum erat, conuenit magna diligentia & reliquias sanctæ Martyris Agathæ religiose deposuit. [sepelitur,] Adolescens vero quidam, cum centum pueris, [apposito per Angelum epitaphio.] splendide indutus, ignotus cunctis Catanensibus, veniens ad locum, vbi adhuc sacrum iacebat corpus, allatam marmoream tabellam in sepulchro posuit, in qua ita scripserat: Mens sancta spontanea, honor Dei, & patriæ liberatio. Cumque hoc scriptum intus ad caput Virginis posuisset, ac monumentum obsignasset, abscessit, nulli amplius in vrbe visus. Vnde quidam existimarunt eum vere Angelum Virginis fuisse.

[13] Audiens vero Quintianus mortuam esse sanctam Dei Martyrem, ad res eius occupandas abiit, (erat enim opulenta) & sumpta tota sua cohorte Panormum versus profectus est. Vixque iter erat ingressus, [Præses ab equis in flumen deiectus perit.] cum eum Diuinum iudicium occupauit. Volens enim traicere flumen quoddam, nomine Psimethum, ingressus scapham cum equis suis, submersus est. Nam duo impetu in eum facto, alter quidem ore eum suffocabat, alter calcibus cædens in flumen eum deiecit. Ac deinde diu quæsitum sceleratum eius corpus reperiri non potuit. Quæ cum ita gesta essent, auctus est Sanctæ honor ac veneratio apud Christianos.

[14] Post annum autem, ipso quo deposita erat die, Ætna mons ignem eructavit, [Ignis ex Ætna profluens,] qui amnis instar effluens cuncta exurebat, & appropinquans omnem Catanensium civitatem concrematurus videbatur. Accolæ autem & ciues ignem metuentes, ac fiduciam in Virgine locantes, confugerunt ad eius sepulchrum, & velum eidem sepulchro circumpositum auferentes, igni opposuerunt: [eius Velo repressus.] & confestim, Dei providentia, precibus Virginis, constitit ignis, exortus quidem Kalendis Februarij, quinto autem eiusdem mensis die repressus: in quo die celeberrimam eius solennitatem agimus, collaudantes Dominum nostrum Iesum Christum tantas illi gratias largitum, quibus digni omnes efficiamur. Amen.